



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

731. An resignatio facta coram Ordinario sun condition, equæ de jure inest, sit simoniaca.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

Prælati conferentibus; cum ad eos solum referantur. Imò, quod nec præceptum importent, sed solum admonitionem, ut ex verborum forma & contextu colligatur, dum Papa in eo versu utatur verbo *causet*, in sequenti verò dicat: *precipimus, & omnino interdiximus.*

2. Ampliatur responsio, ut si quis liberè resignet, nullam imponens necessitatem Ordinario conferendi personæ à se designatæ, etsi in animo ita constitutus sit, ut non renunciaret, si sciret, non conferendum personæ à se designatæ, adhuc non committat simoniam, ne quidem mentalem, quia nullum adhuc intervenit pactum tacitum aut expressum. Tond. *loc. cit.* n. 5. Paris. *cit.* q. 6. n. 8. citans Nav. *in Man.* c. 23. n. 107. Secus tamen foret, si id ipsum tanquam conditionem animo actu retineret, ita ut in animo actu nolit resignare, si non eveniat suum beneficium illi personæ. Azor *loc. cit.* Deducitur quoque ex responsione, non committi simoniam ab eo, qui dedit mandatum ad renunciandum coram Ordinario seu inferiore à Papa liberè & simpliciter, ad petendum tamen simul & obtinendum beneficium personæ à se designatæ. Azor *loc. cit.* Paris. n. 6. Garc. n. 162.

Quæstio 729. An simoniacum quoque sit resignare coram Ordinario sub alia conditione, v. g. sub reservatione personis vel fructuum?

Respondeo affirmativè, juxta dicta *quæst.* ante hanc 4. Ita expressè Castrop. *loc. cit.* Paris. l. 14. q. 5. n. 1. Barbof. *juris Eccles.* l. 3. c. 15. n. 49. citans Suar. l. 4. de *simon.* c. 35. n. 22. Filiuc. *To. tr.* 45. c. 8. q. 10. n. 34. Bonac. de *simon.* q. 4. §. 14. n. 2. Rationem quoque addit Barbof. quia in hoc casu temporalis conditio in spiritualibus adjicitur, per quam conventio non fit gratuita, & aliquid continet, quod pretii rationem habere videatur. Estque hoc ipsum temporale, Proceditque id ipsum, etiam si, dum pactum, ut resignans recipiat fructus beneficii, vel eorum partem ad tempus (idem est de pensione) vel quoad vitæ rit, factum fuerit sub beneplacito Apostolico, & postea facta resignatio coram Ordinario erit enim illa resignatio simoniaca. Paris. l. c. n. 3. sic resolutum dicens à Rota. Et à fortiori hæc procedunt, dum resignatio talis fit coram Papa, & si letur talis pactio facta. De cetero resignantem cum Resignatario antecedenter tractare de fructibus aut pensione sibi præstanda, non est simoniacum. Paris. *loc. cit.* n. 5. citans Redoan. de *simon.* p. 2. c. 15. n. 3. Card. Paris. *conf.* 30. n. 3. vol. 4. Caccialup. de *pens.* q. 19. n. 1. cum communi. Si quidem non nisi pactio firma prohibetur. c. *universorū*, de *rer. permut.* tractatus autem non includunt aliquam firmam conventionem; cum tractare nihil aliud sit, quam in medio ponere. Paris. *loc. cit.* n. 7. qui etiam addit n. 9. & 10. hinc tales tractatus non inducere simoniam, etiam si promissio transierit in obligationem, modò apposita clausula: *cum consensu Papa*, vel *si Papa placuerit*: Vide de hoc plura, ubi de pensione. Vide etiam Garc. p. 1. c. 5. à n. 57.

Quæstio 730. An ergo etiam simoniacum sit resignare coram Ordinario ad effectum unionis sub conditione reservandorum sibi fructuum beneficii uniti?

Respondeo: Non tantum talem resignationem non esse simoniacam, sed etiam esse licitam, & validam. Tond. *qq. benef.* p. 3. c. 151. n. 6. & 7. ubi ait: Regula ista restringens auctoritatem Episcopalem

ad resignationes puras ac simplices non habet locum in resignationibus factis ad effectum unionis, seu ut unio de beneficio sortiarur suum effectum; cum hæc sit impropria resignatio, & ideo etiam sub conditione hujusmodi suspensiva potest fieri, uti id expressè tradit Garc. p. 11. c. 3. n. 138. ubi ait: dubium se offert, an, esto, quod non possit fieri resignatio coram Ordinario in favorem alterius, possit tamen quis consentire, ut suum beneficium conferatur certæ personæ, seu uniatur certo loco in sui præjudicium, sicut potest absolute consentire, quod provideatur, & n. 159. ad hoc dubium responderet, dum ait: videtur id fieri posse, quia consentiens, ut suum beneficium provideatur, non renunciat verè & propriè, sed tantum fictè & impropriè, quod patet; quia antequam provideatur, consentiens manet beneficiatus, & potest revocare consensum, & sic consentiens, ut hujusmodi beneficium conferatur seu uniatur certo loco, non renunciat in favorem, nec ibi intervenit pactum, conditio seu modus, sed nudus consensus, qui non inducit simoniam. Quin & plus addit Garc. dum sic continuat: & idem videtur in renunciatione in favorem sub conditione propria & suspensiva, nempe si beneficium conferatur tali; nam in effectu est quidem consensus, quod conferatur illi, non tamen hic intervenit pactum seu modus; quamvis quoad hoc posterius dicat contrarium sentire Suar. de *relig.* tr. 3. l. 4. c. 35. à n. 5. Jam verò, ut ait Tond. certum est, unionem posse fieri absque consensu illius, qui beneficium unendum possidebat, quo casu unio durante ejus vita ei non præjudicasset, sed semper, quamdiu possessor vixisset, fructus beneficii unendi ad ipsum possessorem pertinuisissent; adeoque dum possessor unioni apposuit conditionem, quæ de jure ierat, ut Rebuff. *in pr. tit. de unionib.* gl. 11. n. 8. & 9 cum pluribus ibi citatis, & Rota *decis.* 133. n. 13. & 14. p. 2. *Diversar.*

Quæstio 731. An resignatio facta coram Ordinario sub conditione, qua de jure inest, sit simoniaca?

Respondeo negativè; Conditio siquidem jure annexa (idem est de annexa à fundatore, & approbata ab Ordinario) tutâ conscientia in pactum deducitur, v. g. si resignes alicui beneficium, ut is resideat in Ecclesia, vel tertio per seipsum legat in hebdomada Sacrum (intellige, ubi sic habet fundatio) Azor *cit.* c. 27. q. 6. Paris. l. 14. q. 6. n. 1. ubi: quod spiritualia dari possint, aut dimitti sub conditione, quæ de jure inest juxta c. *significasti*, de *elect.* & Felin. *in c. ad audientia.* 2. de *rescrip.* vide de hoc dicta alia, ubi, coram quibus faciendæ resignatio. Unde Resignatarius promittens se soluturum pensiones, si beneficium reperitur pensione gravatum, non incurrit simoniam: etsi Paris. l. 14. q. 4. n. 11. citans pro hoc Nav. *conf.* 4. de *simon.* dicat, simoniacè resignare illum, seu resignantem, si is promittat, se soluturum pensionem, si qua gravatum reperitur beneficium.

Quæstio 732. An simoniacum sit resignare (idem est de conferre) beneficium sub conditione, qua quidem de jure non inest, seu non annectitur ipsi beneficio, continet tamen aliquid aliàs de jure debitum resignanti, vel collatori, v. g. ut Resignatarius solvat, quod aliàs debet, & in quo solvendo erat injustè morosus?

Respondet Pirrh. ad *tit. de simon.* n. 141. non esse simoniam, si collator (idem est de resignante) debitori